

eius & acredo testantur, tenuissimarum partium cum sit, & gratum natiuo calori, & aptum eidem excitando futurum remedium est.

*Chymica
remedia nõ
sunt pericu-
losa.*

Interea non videntur periculo vacare Chymica remedia. Gradum qualitatis eximium, eo preparationis momento acquisuere. Valentius agunt, quam sustineat humanæ temperiei mediocritas. Prosterunt vires, & externi caloris, flammis totum corpus replent. Non enim potest negari externum ignem, quo solo nituntur Chymici, suæ caliditatis notas, rei quam lambit, imprimere. Quod præter euentum quotidiano-rum experimètorum, ratio quoq; persuadet. Omnis enim actionis finis is est, ut patiens reddatur simile agenti. Hoc vel sola docet alimentorum confectio, cuius ultimus gradus est assimilatio. At iam non est qualitas, quæ promptius caliditate se insinuet patienti rei. Tenuis est, subit quantumuis arctissimos meatus, remouet obstacula, quod parum resistit, in se conuertit: quod obstinacius, fatigat, quoad potest: siq; non superat totum, aliquid saltem illius sibi simile reddit:

reddit: